

derat, cum militibus suis se accinxisse ad perendum illum, factum esse ut lapidem præ metu et tremore? 1. Reg. XXV. Atqui contra te quoque accinxerat se Deus, et acuerat gladium suum ut fulgur, sagittas suas ardentibus effecerat. Non ergo emoriatur et cor tuum quemadmodum et Nabalis præ metu et horrore. Quæ enim est hæc insania, non timere eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Hinc bonus latro corripuit socium, quod inter horrenda prodigia, non timeret Christo obtretere præsentem: *Neque tu times Deum?* inquit.

VIII. Quia contemnit ut amicum, non curando perdere ejus amicitiam, benevolentiam, et favorem, incurrere ejus inimicitiam et indignationem. Quid autem stultius, quam spernere ejus amicitiam qui potest dare regnum æternum. Ad hæc quanta est hæc injuria, confidere plus in creatura, quam in creatore. Audi Samuellem, 1. Reg. XV. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare* (Deo videlicet), *Eccur hoc?* Sicut enim ariolus relicto Deo ejusque amicitia convertit se ad rem creatam, eam illi præferens, et spes suas omnes in eum transferens. Quid hoc aliud, quam relicto vero Deo consulere Beelzebub cum Ochozia rege et Pythonissam cum Saule; hæcine non defendenda sunt? Recessisti ab optimo domino, patre, amico; quorsum nunc abibis? *Domine quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes,* Joan. VI.

IX. Quia contemnit Dei æternitatem; ponit enim aliquid quod divinæ bonitati necessario et intrinsece repugnat, adeoque conatur quodammodo Deum quantum in ipso est, perdere et occidere. Ad hæc vellet Deum peccata ipsius aut vindicare non posse aut nolle, aut ea nescire: vult ergo eum non esse Deum, quia vult esse impotentem aut injustum, aut insipientem.

X. Quia contemnit ejus unitatem: siquidem plures introducit deos, hostes veri Dei tamquam proditor regni ejus. Tot enim sibi deos statuit quot creaturas contra ipsius voluntatem diligit. Unde nihilominus delinquit, quam Philisthæi cum arcam fœderis juxta Dagon collocarunt, 1. Reg. V. Annon merito de te quærat Deus, quo modo de similibus olim questus est, Isai. XLVI. *Cui assimilasti me, et adæquastis et comparastis me et fecistis similem?* Tentavit olim Tiberius imperator apud senatum Romanum referre Christum in numerum deorum suorum, ut scribit Tertull. in apol. c. V. et XXI. sed impeditum est hoc negotium, quia noluit Christus coli cum falsis diis: *Quæ enim conventio Christi ad Belia?* et tu peccator ausus es statuere juxta Deum verum et unum, fictos alios deos.

XI. Quia contemnit ejus immensitatem, expellendo eum a se, indirecte saltem et demeritorie, quatenus hospitium ejus (animum suum) maculis peccatorum fœdat, et hostem ejus dæmonem in id introducit. Unde fit ut Deus, qui cum dæmone et peccato simul stare nequit, inde expellatur, nec per gratiam suam, et jucundam illam familiaritatem et amicitiam persistere ibi queat. Quemadmodum enim Laban eo ipso exegit generum suum Jacob a domo suo, quo vultum suum immutavit erga ipsum, nec respexit eum amplius placide et benigne, Genes. XXXI. ita si peccator vultum et amorem suum a Deo quidem avertat et creaturæ impertiat: hoc ipso Deum suum discedere a se jubet. Is enim cum zelator sit animarum, alienum admittere amatorem nec vult, nec potest. Itaque quod in te est, o peccator, vis Deum non ubique esse, quia non vis esse in te. Cumque is sua immensitate portet te in se, quasi fœtum in utero suo, ut testatur Isaias, cap. XLVI. tu velut progenies viperina perrumpis ejus uterum, ut extra illum vitam in laxitate et libidine ducas, et hæc tu parva æstimas?

XII. Quia contemnit ejus benignitatem et longanimitatem, qua ad pœnitentiam expectatur sæpe multo tempore; quo pertinet id apostoli ad Rom. II. *An divitiis bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impenitens cor thesaurizas iram in die iræ, etc.* Quia nimirum ea longanimitate, dum vidisti eum connivere, temere es abusus, atque adeo unde emendari et dolere debebas, inde pejor et petulantior factus es.

XIII. Quia contemnit ejus clementiam et misericordiam ei maxime connaturalem et ingenitam, dum ad iram et ultionem provocat eum, qui magis optat parcere et sua bona communicare. Idecirco enim vindicta Dei vocatur *alienum opus ejus, et peregrinum opus ab eo*, Isai. XXVIII. quia videlicet non nisi coactus ab impio id facit: unde Genes. III. cum diluvio perdendus esset mundus: *Heu consolabor*, inquit, *de hostibus meis*. Tu itaque peccator perpetuis clamoribus tribunal ejus et objurgasti, et in te execerasti, testante Davide: *Exacerbavit Dominum peccator*. Perinde igitur fecisti, ac si offerente tibi Deo sceptrum benevolentia suæ, tu potius gladium de latere ejus extraxisses eique ad te jugulandum præbuisses. Nondumne miser tuam agnoscis stultitiam?

XIV. Quia contemnit ejus sapientiam, qua res omnes etiam abditissimas clarissime videt eumque peccantem aspicit. Peccator enim tam libere et tam impudenter in oculis Dei peccat, quasi

I. Invitat Christi institutio: 1. Ex parte materiae. 2. Ex parte finis. — II. Necessitas et indigentia: 1. Ob continuum animæ decrementum. 2. Ob continuos conflictus. — III. Utilitas fructus: 1. Hominem sensim perficit. 2. Signum est electionis. — IV. Exemplum antiquorum Christianorum.

## THEMA.

*Affer manum tuam et mitte in latus meum.* Joan. XX.

Magna gratia contigit Thomæ, dum præ cæteris apostolis, solus cicatrices vulnere Christi tetigit. Sane illius digitus, qui clavorum loca contigit, propterea adhuc Romæ summa veneratione colitur. At nihil minor gratia videtur mihi illa, quæ confertur nobis a Christo, cum ad ejus contactum imo esum in s. communionem admittimur. *Quod nunc dicant:* ait Chrys. hom. LXXXIII. in Matth. *Vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta; ecce eum vides, ipsum tangis, manducas.* Verum videor mihi videre in hodierno evangelio duplicem modum tangendi Christum, digito scilicet et manu. Ait enim Dominus: *Infer digitum tuum huc:* et quasi hoc non contentus, addit: *Et affer manum tuam et mitte in latus meum.* Qui sunt, qui Christum digito tangunt? In meo judicio, qui parce admodum et tepide quasi, veluti ignoti semel in anno tantum communicant. Qui sunt qui manu tangunt? Illi, qui liberaliter confidenter et familiariter, quasi amici sæpius in anno communicant. Quando ergo præter digitum requirit Christus et manum, nonne insinuat nobis parum se contentum fore, si semel in anno, quasi alieni ad eum accedamus, sed velle præterea, ut sæpius et confidenter veluti familiares ejus ad ipsum accedamus? Hoc est, auditores, quod hodie cordibus vestris cupio insculptum, frequentem scilicet communionem, non talem qualemcumque, sed dignam. Quæ vero nos invitent ad hujus animæ frequentationem, audiamus.

I. Ad frequentem communionem nos invitat primo, Christi institutio, et primo, ex parte materiae, quia in specie panis et vini eucharistiam instituit. Est autem panis et vinum (præsertim panis) ordinarium et quotidianum hominis alimentum. Vescitur enim et aliis cibis, carnibus, herbis, piscibus, sed panis interim semper ad mensam adest, velut maxime usitatus et quotidianus ejus cibus, ita ut sine pane (licet alia suppetant) difficulter vivat. Pari ratione habet anima plures alios cibos suos, uti verbum Dei, lacry-

eum cæcum aut ligneum reputet atque ita nihilo modestius cum Deo agit, quam pessimi illi milites, qui faciem Christo velabant, ut tanto liberius illudere possent et verbera infligere. Itane miser cæcum putas Deum, qui hæc talia ausus es? Itane coram Deo facere non erubuisti, quod homine præsentem facere non auderes? *Qui plantavit aurem non audiet? Aut qui finxit oculum non considerat?* Quam merito tu dices Deo: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci?* siquidem nullius conspectum minus, quam Dei timuisti, adeoque nullum magis et crebrius, quam ipsum offendisti.

XV. Quia contemnit ejus potentiam dum eum qui appendit omnia tribus digitis et quovis momento peccatorem perdere potest, provocat ad pugnam, et currit adversus eum erecto collo, expuit in cælum, et tela in Altissimum ejaculatur quodque amplius est, creaturis ipsius contra eum pugnat, et instar illius pessimi Sennacherib Deo quodammodo exprobrat impotentiam, dum audet contra insurgere. Itaque sibi etiam dictum existimet illud Isaiæ, IV. Reg. XIX. *Cui exprobrasti? Contra quem exaltasti vocem tuam et elevasti in excelsum oculos tuos?*

XVI. Quia contemnit Dei bonitatem et charitatem, dum perpetuo fruitur ejus bonis, pro quibus tamen reddit ei mala. Nullum est momentum, quo Deus non recordetur peccatoris, quo non cumulet eum variis beneficiis? Omnes etiam creaturas ad servitium ejus condidit et impendit quotidie, idque facere non cessat, etiam postquam graviter et pertinaciter offensus ab illo. Quid vero peccator agit? Non tantum his non movetur ad redamandum Deum, sed etiam movetur ad persequendum odio et offendendum: *Posuerunt adversum me mala pro bonis*, ait Dominus per Psalmistam, Psal. CVIII. *et odium pro dilectione mea.* Ad hæc utitur creaturarum opera et ipso Dei concursu ad peccandum. Unde queritur idem Dominus, Isai. LIII. de peccatore: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuiisti mihi laborem in iniquitatibus tuis:* quia nimirum meo concursu, natura, donis, et creaturis abusus es, etc. Quæ cum ita sint videat nunc quisque, annon sat causarum habeat, cur cum S. Thoma gemebundus et stupore ac dolore plenus exclamet: *Dominus meus, et Deus meus:* et rursum cum Jeremia, c. IX. *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte.*

Dicamus igitur nunc cum Juda Macchabæo: *Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, scilicet per confessionem.*

mas, virtutum opera, etc. Voluit tamen Christus instituere eucharistiam in specie panis, ut intelligeremus hoc animæ alimentum debere illi esse ordinarium, utpote maxime proportionatum. Quocirca panem istum primario nobis peti quotidie in oratione Dominica indicat textus Græcus, qui legit: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*: (talibus autem revera est eucharistia, ubi substantia corporis Christi pellit substantiam panis a speciebus ejusdem) et voluit ss. patres uti S. Cyprianus, in expos. orat. Dom. ubi ait panem hunc eucharistiæ quotidie a nobis peti; ne dum diutius abstinemus, non communicantes propter grave aliquod peccatum, a Christi corpore separemur: et S. Ambros. lib. V. de sacram. cap. IV. ubi ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis?* Possumus autem quotidie sumere panem hunc saltem spiritualiter, assistendo missæ cum ardenti desiderio communicandi, v. g. dicendo cum Davide: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem!* II. Reg. XXIII.

Secundo, ex parte finis. Instituit enim eucharistiam Christus, ut esset memoriale passionis ejus aliarumque gratiarum quas contulit nobis. Cum ergo æquissimum sit, quotidie nos memores esse cruciatuum, quos nostra causa pertulit, et quotidie gratias agere pro beneficiis ejus, æquissimum etiam erit s. eucharistiæ, si non quotidie, sæpius saltem participes nos facere; siquidem nulla ratione melius, quam hac ipsa hoc præstare et ingrati animi notam possumus effugere. Quid enim eucharistia, quam gratiarum actionem sonat? Et si in veteri lege præcepit Deus immolari sibi quotidie agnum unum vespertino tempore, et alium matutino (illum in memoriam Christi morituri, hunc vero in memoriam resurrecturi) Exod. XXIX. quanto magis decet ut nos istorum beneficiorum memoriam frequentius celebremus, qui illa beneficia abundantius participamus? Possumus autem hoc quotidie facere in communione spirituali, dum assistimus missæ, vel saltem dum audimus pulsari campanam ad elevationem, more in Ecclesia recepto, erige cor tuum ad Christum, cum eum sonum audis, et memento passionis ejus.

Deinde, instituit hoc sacramentum, ut in eo et per id nobiscum habitare, conversari, et deliciarum posset. Idem enim amor qui impulit eum, ut ad nos de cælo in carne nostra veniret, et nobiscum tam familiariter, tam dulciter, tam humiliter versaretur: idem etiam impulit eum ut post discessionem suam ad cælos, eadem familiaritate, dulcedine et humilitate nobiscum permaneret in eucharistia, siquidem deliciæ ejus sunt

esse cum filiis hominum, teste Sapiente. Quis ergo non libenter et assiduo cum Christo se delectare velit, quando ipse se nobiscum delectare tantopere desiderat? Quomodo si ipsius præsentiam et familiaritatem fugiamus, non merito nobis dicere potest id Dalila ad Samsonem: *Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* Jud. XVI.

Possumus hoc quotidie spirituali saltem communione præstare, desiderando toto corde esse cum Christo. Vel ingemisce, quod indignus sis tantum hospitem introducere in domum, et spiritualiter recepisti.

II. Invitat necessitas et indigentia nostra. Primo, ob continuum animæ nostræ decrementum. Quemadmodum enim in corpore, calor naturalis continuo quasi arrodit et absumit humidum radiale, quod nisi a nutrimento continuo reparatur; tandem omnino consumptum, homini necessariam mortem affert: ita anima nostra intra seipsam habet, quod continuo virtutem ejus consumit, amorem scilicet proprium. Unde perpetua indiget virium restauratione, quam omnium potentissime præstat ei panis hic cælestis. Est enim velut arbor vitæ constituta in paradiso, quæ præ omnibus aliis arboribus potentissimam vim habuit ad conservandam hominis vitam; ita tamen ut homo non semel tantum, sed sæpius eam gustaret, per modum medicinæ ad occurrendum defectibus naturæ et reficiendum caloris naturalis vigorem; quod si ab illius esu omnino abstinisset (quod sine gravi scelere facere non poterat) utique mortuus tandem esset quare sicut homo infirmus vel debilis complexionis frequenter uti medicinis et consilio medici debet, ideoque si sapit, desiderat frequentem medici accessum; ita et anima nostra per lapsum primorum parentum admodum debilitata, quomodo non indiget frequenti medicina et cælesti medico? Et si indiget, quomodo non gaudet frequentia ejusdem? Quomodo denique non arescet, si longo tempore obliviscantur comedere panem suum? Psal. CI. Hinc S. Ignatius martyr scribens ad Ephesios hortatur Christianos: *Date operam ut crebrius congregemini ad eucharistiam, etc. frangentes panem unum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Jesum Christum, etc.*

Secundo, ob continuos conflictus, quibus a dæmone, mundo et carne urgemur, et continua pericula, in quibus versamur in gravia incidendi peccata. Etenim anima nostra velut obsessa quædam civitas est, quæ undique impugnatur, ac nisi aliunde commeatum et subsidium subinde obtineat, brevi tempore adeo constringitur et premitur, ut se hosti dedere compellatur. Oppugna-

tur ex una parte a dæmone, ex altera a mundo, ex alia a concupiscentia et carne sua, et ita quidem acriter, ut quotidie ei pugnandum et continuo vigilandum sit. Quis in tanta obsidione non succumbat tandem? Quid igitur faciunt obsessi? Mittunt, qua possunt industria, litteras ad regem suum rogantes, ut cum manu forti veniat ad eos, inferat commeatum, instauret obsessorum vires, etc. quo facto adjuti cives tutos se existimant. Quoniam ergo nos in ejusmodi discrimine continuo versamur, quod melius erit consilium, quam sæpius evocare ad nos e cælo potentissimum regem nostrum, ut vires animæ, continuo bello debilitatas, cælesti pane reficiat, adeoque contra hostes roborat? Videtur hoc in spiritu prævidisse David cum ait Psal. XXII. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.* In quem locum S. Chrysostomus ait: « Qui sunt, vos tribulant? Suggestiones inimici, cupiditates, delectationes, sæculi honores: sed cum venimus ad mensam potentis, tribulationes efficiuntur consolationes, et ex mensa præparata proficimus adversus eos, qui tribulant nos. » Sciens istud dæmon, conatur omni studio homines avertere a s. communione, maxime frequenti; eo fere astu, quo Christiani in recuperanda terra sancta occupati, Ptolemaidem obsidentes, auxilium ei ferendum interceperunt. Cum enim Sultanus per columbam civitati litteras misisset (ad hoc enim columbæ Syriæ admodum idoneæ et doctæ feruntur) quibus se brevi in auxilium ejus venturum et obsidionem soluturum significabat; Christiani columbam intercipientes, contrarias fictasque nomine Sultani scriptas, per eandem in urbem miserunt, quibus significabatur Sultanum aliis districtum negotiis, urbi succurrere non posse: ergo cives cum hoste optimis conditionibus componerent. Ita obsessi urbem Christianis dederunt, ut narrat Egnatius et ex eo Aldrovandus, prolegom. in ornith. Quod hic Christiani optimo astu fecerunt, facit multis diabolus astu tamen pessimo. Novit enim se facile superandum si per dignam eucharistiæ susceptionem, præsertim crebram, homo adjuvetur; ideo sedulo curat subsidium id impedire, objiciendo impedimenta, ingerendo timores et scrupulos, aliis occupando, etc. Mittit quidem Deus sæpe ad hominem litteras bonæ inspirationis per Spiritum sanctum, quibus ei auxilium hoc et promittit et adhibendum inspirat. Verum sæpe etiam litteræ hæ intercipiuntur a cacodæmone, qui homini persuadet, nullum esse in eucharistia præsidium, vel non esse otium ad crebro communicandum, etc.

III. Invitat nos utilitas et fructus. Præterquam enim quod frequens et devota communio fructum

suum ordinarium toties replicat, quoties fit (quod quidem satis esse posset, sicut arbor quæ duodecies in anno fructum fert, utique est utilior, quam quæ semel tantum) habet etiam fructum extraordinarium et specialem.

Primo enim, hominem sensim perficit in virtutibus et in ipsum quasi Christum immutat, qui est primarius sanctæ communionis finis, ut scilicet nos in Christo, et Christus in nobis maneat ac vivat; adeoque nos christophori et christiformes fiamus. Ut enim oves in iis regionibus, ubi pascua nobiliora sunt nobiliorem gignunt lanam (quod tamen non fieret, si semel tantum in anno gustarent delicata illa pascua): rursus ut oves, quas pascebat Jacob de virgibus variegatis potum sumentes, variegatos gignebant fœtus quibus Jacob, quoniam ipsi cedebat, ultra modum ditatus est, Gen. XXX. ita qui s. communioni assueti sunt, generosum et sanctum animum induunt, adeoque ipsum Christum omni virtutum genere variegatum. Quomodo enim fieri potest, ut qui crebro Christum contemplantur, et devota aviditate sumunt, in se imaginem ejus non expriment et perficiantur ad sanctitatem? Oves Jacob bibentes ex aquis communibus, communes et sibi similes gignebant agnos: bibentes vero ex diversis coloribus, virgarum artificio factis, gignebant agnos diversicolores; similiter soleat unus semel in anno communicare tantum, alter singulis mensibus ex mera electione (non ex officio ut sacerdotes et religiosi) et utrumque contemplerur; videbimus certe eum, qui frequentat hoc sacramentum, plus timere Deum, magis cavere peccata, magis esse illuminatum majore cum gustu et devotione accedere ad communionem, quam illum, qui semel tantum in anno accedit. Imprius enim s. communio, si non semper perficit et ædificat susipientem, præservat tamen a multis lapsibus et defectibus, et saltem facit eum cautiorem, ut ob reverentiam s. eucharistiæ studeat magis innocenter vivere et graviora peccata vitare. Deinde, quemadmodum vir dives et liberalis, vix unquam divertet ad domum alicujus pauperis ruinosam vel male instructam quin ibi relinquat donum aliquod pro beneficio hospitii: ita sine munere vix veniet Christus ad hominem sibi amicum. Tametsi vero id munus et profectum illum in ipsa communione sæpe non sentimus aut cognoscimus; sentiemus tamen post aliquod tempus, siquidem gratia fere semper naturam imitatur et pedetentim leniterque operatur, uti experimur in plantis: quas crescere quidem non videmus, tandem crevisse cernimus, et in nobis ipsis, quos augeri statura non deprehendimus, auctos tamen esse deprehendimus, in adulta ætate.

Secundo, signum est electionis ad gloriam, ut indicat Zachar. c. IX. ubi s. eucharistiam vocat frumentum electorum: *Quid enim bonum ejus, inquit, et quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* Quæ verba ad eucharistiam ad litteram exponit S. Hieronymus et alii communiter: Mithridatis Ponti rex mediante theriaca, quam ab ipso inventam Mithridaticum appellant, quotidie sumpta adeo naturam suam contra venenum armavit, ut tandem id sine noxa sumeret, ac cum in potestate Romanorum venisset, veneno sibi necem afferre cum vellet, non posset, Plin. XXV. c. II. Similem theriacam, sed spiritualem advenit cœli et terræ Rex, qua contra peccati venenum vitam nostram tuemur, uti ipsemet sæpius indicat, veluti cum ait: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Joan. VI. Quod tamen id potissimum obtinent, qui theriacam istam frequenter et debite sumunt. Hoc enim qui faciunt, ita vitam animæ suæ roborant ac muniunt, ut veneno peccatorum vix infici, minus periri et interire possint. Sane Concilium Trid. sess. XIII. c. asserit: Sacramentum hoc institutum tamquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et peccatis mortalibus præservemur.

IV. Invitat exemplum antiquorum Christianorum et maxime primorum sub tempore apostolorum, qui utique mentem et voluntatem Christi optime noverunt, ideoque ut scribit S. Luc. Act. II. *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis*: non utique communis (hoc enim Epicureum potius, quam laude dignum foret) sed eucharistici, ut clare vertit Syrus, qui vocem eucharistiæ, Græcam licet, retinuit. Eam autem perseverantiam de quotidiana communione intelligunt ss. patres, eaque consuetudo quotidie communicandi diu in Ecclesia, præsertim Latina, viguit, ut testatur S. Anacletus papa, de consecr. d. II. c. *Peracta*: et Sanct. Hier. in apol. contra Jovin. et in ep. ad Lucium idem asserit de Hispanorum Ecclesiis. Commendatur præterea a multis ss. patribus: S. Basil. in ep. ad Cæsariam patriam, apud Canisium de eucharistia, quæst. IX. scribit fideles suo tempore quater in hebdomade communicasse, in dominica videlicet, feria quarta et sabbato et reliquis sanctorum festis diebus: S. Epiphani. in comp. doctr. meminit consuetudinis ter in hebdomade communicandi, die solis scilicet, Mercurii et Veneris. S. Justinus martyr apol. pro Christianis ad Antoninum Plum imperatorem scribit, sui temporis fideles quovis die solis convenisse ad synaxin. S. Aug. in ep. XVIII. ad Jan. scribit, suo tempore alios quotidie, alios certis diebus, alios dominico

tantum celebrasse. Post hunc S. Chrysost. hom. XVII. in ep. ad Hebr. *Multi*, inquit, *hujus sacrificii semel toto anno sunt participes, alii autem bis, alii vero sæpe, etc.* et ultimos commendat super omnes, primos vero reprehendit variis in locis, uti homil. LXI. ad pop. hom. V. in I. ad Tim. Ita videmus hoc tam laudabile pietatis studium, crescente fidelium numero paulatim elanguisse, et tandem nostros sæculo penitus refraxisse. Hinc infirmitates et miseria nostræ. Quare sicut statua, quam in somnis vidit Nabuchodonosor, habuit caput aureum, pectus et brachia argentea, ventrem et femora ærea, tibias ferreas, pedum partem unam ferream, alteram fictilem, Dan. II. ita fere Ecclesia deficit paulatim in hoc exercitio. Aurea et ferventissima fuit in quotidiana communione tempore apostolorum; argentea tempore S. Basilii, Hieronymi et Augustini; ærea tempore S. Chrysostomi; ferrea posterioribus sæculis; nostro vero ævo partim ferrea in iis, qui singulis mensibus saltem adhuc communicant, partim lutea in iis, qui in anno semel tantum.

Sed quod nobis, dicet aliquis, hac in re consilium? Respondet S. Bonav. l. de processu relig. c. XXI. et cum eo alii dd. vix posse in hac re certam regulam statui, sed standum fere judicio pii et prudentis confessarii. Statuamus tamen regulas aliquot.

Prima, a cœpta semel consuetudine sæpius communicandi, si quis sentiat inde se proficere, vel certe a peccatis præservari, non est cedendum. Ut enim arbores irrigationi assuetæ, si deficiat cultura, damnum capiunt, et corpora languida medicinis assuefacta, si illæ subtrahantur, in graviores languores incidunt: ita qui s. communionis frequentia assuefactus est, si desinat, paulatim decidit.

Secunda, sæculares certis oneribus vel occupationibus, quibuscum stare nequit illa devotio, obstricti satisfaciant potius debito suo, quia melior est obedientia, quam victima; et justitia potior, quam devotio non necessaria.

Tertia, cæteris paribus sacerdotes decet frequenter celebrare, et expediret, meo judicio, quotidie (nisi gravibus oneribus distraherentur), sic enim spiritum et fervorem facilius conservarent, sicut cum hypocaustum hiemali tempore quotidie calefit, facilius colorem concipit retinetque, quam si die uno alterove calefieri desinat. Cæterum si ex humilitate se quandoque abstrahant, non male agunt: sed ob hoc laudantur a S. Bonavent. loco indicato. Et ita pertinent sacerdotes ad caput aureum, quibus ratione status sui supplere sæpe Deum defectum credendum est, religiosi vero, non sacerdotes et alia quædam personæ conti-

nentes et ferventes in obsequio divino, nullis oneribus obstrictæ, possunt semel in hebdomade communicare, et ita in pectus argentum reponi. Alia personæ sæculares Deum timentes et devotæ, recte facient, si semel aut bis in mense id faciant, uti viduæ, et qui non ita magnis familiæ oneribus gravantur, ut sic cum menstruis noviluniis renovent spiritum suum, et sint sicut ligna vitæ in utraque parte fluminis paradisi, quæ afferunt fructus duodecim, et per menses singulos reddunt fructum suum, Apoc. XXII. Ii porro qui conjugii vel servitii oneribus premuntur, satisfaciant Deo, si in festis saltem precipuis se disponant ad communionem, et ita ad tibias ferreas pertinebunt. Cæterum ad pedes luteos, quos alios referam, nisi eos qui toto anno in luto incedunt, periculosos negotiationibus intricati, ideoque fœde inquinati communiter esse soleat? Quos tamen cuperem paulatim proficere et sæpius in anno sordes suas excutere, ne videantur in paschate, sola præcepti necessitate compulsi communicare. Et quid isti respondebunt Christo, si ab eo increpentur aliquando, quod sibi intulerint mortem animæ suæ, quandoquidem jam facit et prompto remedio suæ perditioni occurrere potuissent? O miseri et cæci, dicet, quare voluistis mori, qui fructum ligni vitæ in horto et potestate vestra habuistis? Jacob patriarcha cum famis tempore audisset vendi in Ægypto alimenta, increpavit filios suos, quod non pergerent eo, frumentum coempturi: *Quare negligitis?* inquit. *Audivi, quod triticum venundetur in Ægypto, descendite et emite nobis necessaria ut possimus vivere*, Gen. XLII. Alimenta illa (Hebr. scæber, id est, frangenda) typus eucharistiæ sunt, quæ fractio panis appellatur. Quare igitur negligitis emere vobis, o tepidi, vitam et salutem, etc.

## CONCIO VI.

DISPOSITIO REQUISITA AD SANCTAM COMMUNIONEM.

I. Mundities corporis. — II. Puritas conscientiæ. — III. Præparatio animæ. — IV. Intentio recta. — V. Fiducia.

## THEMA.

*Affer manum tuam et mitte in latus meum*. Joan. XX.

Negari non potest, magnam fuisse Christi Domini dignationem, qua se post resurrectionem suam incredulo discipulo præbuit palpandum, imo ut palparet eum invitavit. Hoc enim ipsum

paulo ante negarat Magdalenæ dicens: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum*, Joan. XX. sed nec hoc negari potest, non esse minorem, sed potius majorem Domini dignationem qua nos non ad contactum tantum gloriosi corporis, sed ad ipsam etiam sumptionem, non tam admittit, quam humanissime invitat. In hac enim non quemadmodum Thomas tangimus solummodo latus ejus, sed ipse potius totus descendit in latus nostrum, ibi sedem sibi deligit, ibi cubat et requiescit, ut vere exclamare possimus Mosaicis illis verbis, Deut. IV. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis*. Nec enim illa aderat vel ipsi Moysi et Israelitis, quoniam illa per angelum solum, nobis autem per semetipsum corporaliter est præsens. Porro ad hunc sui admirandum contactum invitat nos Dominus noster specialiter hoc tempore et quodammodo ad nos dicit: *Affer manum tuam, et mitte in latus meum*. Sed quoniam hæc vocatio maximæ, ut dixi, dignationis est, videndum nobis prius, ut debito modo tangamus. Atque utinam vidissemus, vel cogitare saltem possemus quanta cum reverentia, humilitate, et timore miserit Sanctus Thomas manum in latus Domini: ut vel ab illo disceremus, quomodo ad eucharistiam præparare nos deberemus. Solebant olim communicaturi manu in volam exporrecta, recipere corpus Christi. Cum ergo Dominus requirat manum, quæ mittatur in latus ejus, docebit nos manus ista quinque suis digitis præparationem debitam.

I. Primus digitus auricularis, quod aurem eo purgemus, est mundities corporis. Ac primo, requiritur ut vasa communicantium ab omni pollutione, etiam involuntaria (nisi gravis obstet causa) et ab opere conjugali sancta sint. Si enim S. Hieronymus scribit in epistola quadam, se basilicas martyrum ingredi non ausum, si quando nocturnum phantasma eum deluserit: quanto minus audendum, ut post talem delusionem accedatur ad purissimum Virginis filium? Conjugibus præcipit Concilium Elibertinum, cap. Omnes de consecr. q. II. ut saltem tribus aut quatuor diebus se contineant. Ac propter hanc causam Abulensis asserit ex doctissimis Hebræorum, percussus fuisse Ozam ob contactum arcæ, quod scilicet præcedente nocte se non continuisset, II. Reg. VI. Achimelech antequam Davidi ejusque commilitonibus porrigeret panem sanctum ex mensa propositionis, interrogavit: *Si mundi sunt pueri?* I. Reg. XXI. quod si panis ille, qui eucharistiæ figura tantum erat, non debebat dari iis, qui se non per dies aliquot continuissent, quanto minus eucharistia ipsa vinum germinans virgi-